



eorum exprobravit et duritiem cordis, ut habetur Matthaei ult. Nunc vero eadem pars orientalis est paene destructa, et intra eam sunt domicilia rusticorum, et stabula hircorum, quia villula ab oriente adhaeret ecclesiae, quae dicitur in eorum lingua Est tamen murus per medium ecclesiae deductus, qui dividit orientalem partem a rusticis occupatam ab occidentali, in qua est capella ascensionis Domini. Haec ecclesia e regione stat, ut dixi, templi Domini multo altior templo, quamvis et ipsum in monte stet, et a longe videtur; ut supra fol. 90 B. Et est ad orientem directe templi Domini, quod nominant Salomonis, ita, quod aequinoctiali tempore videtur sol oriens quasi de ecclesia prodire et ascendere, sicut ego saepe consideravi, nec amplius mirabar, quod ecclesia cantat de ascensione Domini: Psallite Domino, qui ascendit super coelos coelorum ad orientem. De his venit plus dicendum fol. 171. B. De civitate Jerusalem usque ad locum ascensionis per viam, qua nos ascendimus, sunt tria bona milliaria italica.

Commendatio loci ascensionis Domini, in quo et ejus patebit descriptio, et etiam vallis Josaphat, torrentis Cedron, et vallis Toph, et Hinmon, quae omnia ad montem Oliveti radicantur.

Ascensionis Domini locus inter caetera loca terrae sanctae est valde devotus, ad quem peregrini miro affectu sunt inclinati, quia est septem privilegiis nobilitatus. Est enim

I. Venerabilis multum. Ab antiquo enim fuit ibi excelsum celebre, in quod David adoraturus ascendit, ut dicitur 2. Reg. 16. et infra fol. 171., et quia ibi constituti sunt discipuli principes super omnem terram, cum dictum est eis: Euntes in mundum praedicate evangelium omni creaturae, Marci XVI.

II. Est locus amabilis, quia hic in coelum ascendit, et iter ad regnum coeleste nobis ostendit.

III. Est mirabilis locus, propter Antichristi saevissimam dissipationem. Tradunt enim doctores, ut Richardus in IV. circa finem, quod Antichristus in hoc loco interficeretur a

405

403

409

399

414

394

454

354

304

Ende

Anfang